

patus Politici species ac facies, a qua efformanda ac fingen-  
da Novatores sibi temperare velint, alias ipsi sunt Papatus  
per posticam Reductores. In decidendis Controversiis sin-  
guli *status hierarchici*, (quorum divisio nequaquam Pontifi-  
ciorum est stratagema, sed ipsa Scripturae sententia) quod  
suum est, ordine & suo modo tribuunt ac conferunt. *Prin-  
ceps* habet jus dirigendi, convocandi Concilia, Synodos, *Mi-  
nistri Ecclesiae* autem jus controversias enatas examinandi,  
& secundum Scripturam decidendi. *Oeconomicus* denique  
*status* post praemissam ex Scriptura inquisitionem, quam  
instituere nemo prohibetur, in solidam earundem dijudica-  
tionem consentit.

§. XI. Quae si omnia rite peragantur, non video, quid  
fermenti Pontificii THOMASIVS in hac sobria sententia inven-  
erit, nec difficulter etiam confutantur ea, quae imprimis  
objecit *in dem Recht Evangelischer Fürsten in theologischen Streitigkeiten*, gründlich ausgeführt wieder die Päpstische Lehr-Sätze  
*eines Theologi in Leipzig, nebst einer summarischen Anzeige, und*  
kurtzer *Apologie &c.* De excommunicatione Ecclesiastica,  
cujus mentionem supra jam fecimus, licet idem THOMA-  
SIVS *in denen Anmerckungen über Pufendorfs Geistliche Monarchie*  
*p. 75.* inficias ire non dubitet, habere posse eandem locum in  
territoriis protestantis Christiani Magistratus: *Er halte den Kir-  
chen-Bann vor eine von denen vornehmsten Politischen Stützen*  
*des Pabstthums.* Salva tamen res est, siquidem, si abusus, qui  
in Papatu foedissimos effectus reliquit, tollatur, verum  
fundamentum utraque excommunicatio in divinis literis  
agnoscit, & speciatim quidem minor Matth. VII, 6. major au-  
tem Matth. XVIII, 15. 16. 17. 18. & 1. Cor. V, 4. 5. potestas clavis li-  
gantis & solventis, quae non est jurisdictionis, sed ordinis,  
generaliter universae Ecclesiae, speciatim vero singulis verbi  
ministris suo modo concredita, divinae autoritati & instituti-  
onis innititur Matth. XVI, 19. & Jo. XX, 23. Discrimen inter docto-  
res